Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



trinitatis nobile triclinium Verbi tamen incarnati speciale maiestati
preparans hospicium O maria stella maris dignitate singularis
super omnis ordinaris ordines celestium In superno sita poli nos
commenda tue proli ne terrore sive doli nos supplantent hostium In
procinctu constituti te tuente simus tuti pervicacis et versuti tue ce-
dat vis virtuti dolus providencie Jhesu verbum summi patris serva servos
tue matris solve reos salva gratis et nos tue claritatis configura
glorie. Sequencia.
Verbum bonum et suave personemus illud ave per quod Christi fit con-
clave virgo mater filia Per quod ave salutata mox concepit
fecundata virgo david stirpe nata inter spinas lilia Ave veri
salomonis mater vellus gedeonis. cuius magi tribus donis.
laudant puerperium Ave solem genuisti ave prolem protu-
listi mundo lapso contulisti vitam et imperium Ave sponsa verbi
summi maris portus signum dumi aromatum virga fumi angelorum
domina. Supplicamus nos emenda emendatos nos commenda
tuo nato ad habenda sempiterna gaudia. Sequencia.
Mittit ad virginem non quemvis angelum sed fortitudinem suam
archangelum amator hominis Fortem expediat pro nobis
nuncium nature faciat ut preiudicium in partu virginis Naturam
superat natus rex glorie regnat et imperat et zima scorie tollit de
medio Superbientium terat fastigia colla sublimium calcet vi propria
potens imperio Hostes eiciat mundanum principem secumque faciat ma-
trem participem patris imperii. Exi qui mitteris hec dona dissere
revela veteris velamen littere virtute nuncii Accede nuncia dic ave
cominus dic plena gracia dic tecum dominus et dic ne timeas
Virgo suscipias dei depositum in quo perficies castum propositum et vo-
tum teneas Audit et suscepit puella nuncium credit et concipit
et parit filium sed admirabilem Consiliarium humani gene-